

# Exercitationes criticae.

Scipsit

Theodorus Kock.

Exercitationes criticae

Theodorus Kohn

## I.

### Aristoph. Av. 637.

Quum accusare alios et condemnare tum plurimis hominibus tum criticis multo plerumque sit usitatus et iucundius quam excusare et ignoscere, tamen, sicuti in re forensi Romani accusatione multo honestiorem iudicarunt defensionem innocentium, ita ego in ipso huius scriptionis introitu propugnationem suscipiam et patrocinium hominum longe omnium miserrimorum. Quid enim miserius potest cogitari eo hominum genere, quorum diligentiae tot veterum scriptorum incolomitatem debeamus, et quorum nihilo minus stultitiae et imprudentiae quidquid usquam vitii veterum libri contraxerunt, iusto liberalius tribuatur? Quidquid delirant reges, plectuntur Achivi. Quidquid in antiquitatis monumentis vel temporum iniuria obscuratum est et infuscatum, vel nobis, ingeniosis nimirum omniumque rerum peritissimis aestimatoribus, non primo aspectu planum videtur et facile ad intelligendum; quidquid etiam veteres scriptores ipsi negligentius, ut fit, et minus accurate expresserunt: id videlicet librariorum culpa adsignandum est, quos ad unum omnes mira quadam et plane singulari constantia ita natura conformavit, ut, quum nihil saperent, nihil viderent, tamen vitam in multiplicandis sua manu suoque labore magnorum ingeniorum operibus consumerent. Hos igitur interdum etiam iniuste lacessitos defendere et aequum erit et operae pretium videtur: nam quum non facile quisquam reperiatur qui hoc in se officium recipiat, ut novis rebus et inusitatis maxime omnium animi capiuntur et tenentur, ita nescio an tam nova et inaudita professione hominum literatorum animi ab hoc fere scriptionis genere nimium quantum abhorrentes alluci quodammodo et incitari possint, ut victo quo plerumque a tali lectione avertuntur fastidio et satietate paullo accuratius has inspicere paginas non recusent. Accedit quod etiam alterum ex hoc consilio commodum idque haud spernendum percepturum me esse spero: si enim postea etiam vituperare in quibusdam rebus eos quorum defensionem suscepi et reprehendere instituerem, confido fore ut non inani quadam novarum rerum cupiditate, sed certa necessitate iustisque causis et rationibus adductus id fecisse videar.

Iam igitur descendendum est in certamen et digladiandum cum adversario haudquaquam contemnendo, quemque ego propter doctrinae et copiam et elegantiam permagni faciam. Hamakerum dico, ex clarissima illa et praestantissima Cobeti, ni fallor, schola, Neo-Batavorum disciplinae alumnum, qui Atticorum usum consuetudinemque dicendi tanta assiduitate tantaque diligentia pervestigarunt, ut veram fictamve cuiusvis vocabuli locutionisque originem et civitatem certis quibusdam et quae fallere nunquam possint signis notisque cognoscant. Is igitur, quum Avium v. 637 antiquitus in hunc semper modum legeretur:

*ὅσα δὲ γνώμη δει βουλευέιν, ἐπὶ σοὶ τάδε πάντ' ἀνάκειται,*

neque quisquam, quae est hominum, etiam doctorum, interdum socordia et negligentia, in eo offendisset, haec ferri in Attico poeta non posse demonstravit, quoniam Attici semper dicant *ἀνατιθέσθαι τινί τι*

et *ἀνάκειται τινί τι*, nunquam *ἐπί τινι*. Obtemperandum videbatur, et obtemperavit Meinekius; atque, ut dicam quod verum est, ipse quoque analogiae blanditiis aliquamdiu adeo quasi delinitus eram, ut quod Hamakerus recipi iusserat *ἐνὶ σοὶ τάδε πάντ' ἀνάκειται* recepturus fuerim, nisi in tempore illud ipsum *ἐνὶ σοὶ* mihi dubitationem movisset. Etenim pro mea Atticae consuetudinis scientia nescio quomodo illud semper videbatur *σοὶ μόνῳ* dicendum fuisse. Recte quidem *ἐνὶ πάντα ἀνάκειται*, non recte, opinor, *ἐνὶ σοὶ πάντα ἀνάκειται*. Nam quamquam me apud Homerum Od. 20, 110 legere memineram: *ἢ δὲ μὴ οὔπω πάτετο*, et apud Xenophontem in Anab. 1, 9, 22: *δῶρα πλείστα εἷς γε ἀνὴρ ἐλάμβανε* (cf. ibid. 12), et quamquam *εἷς* cum superlativo saepissime ut apud Latinos coniungi sciebam, tamen haec omnia differre aliquantum ab illo usu existimabam. Atque Aristophanes quidem quum dicat: *εἷς ὢν ἔπαυσα αὐτούς* (Eq. 861), *ἐγὼ τοσαῦτα δυνατός εἰμ' εἷς ὢν ποιεῖν* (Plut. 186), *καταλύει περιφανῶς εἷς ὢν μόνος τὴν δημοκρατίαν* (ibid. 948), *εἷς γ' ἐκείνοσι μόνος εἰσέρχεται* (Vesp. 1500), alia eiusmodi, nusquam quod ego quidem sciam *ἐγὼ μία* vel *σὺ εἷς* dixit, *ἐγὼ*, *σὺ μόνος* et *μόνη* sexcenties. Atque haec si cui rhetorica quaedam veritatis superlatio esse atque traiectio videatur, ex ingenti eorum exemplorum multitudine, quae *μόνος* ita poni docent, ne, quod Pindarum facere Corinna vetuit, *ὄλω τῷ θελάκῳ σπείρειν* arguar, omissis etiam talibus qualia sunt: *μόνη γὰρ ἡμᾶς ὠφέλεις* vel *μόνη τέτληκας, σὺ δεδέλιπτης μόνος*, ea sola hic apponam, ubi primae secundaeve personae pronomen numero singulari cum voce *μόνος* coniunctum legitur. Ach. 110: *ἐγὼ τοῦτον βασανῶ μόνος*. Ran. 1453: *ἐγὼ μόνος* (in versu suspecto). Lys. 140: *σὺ γὰρ ἐὰν γένη μόνη μετ' ἐμοῦ*. 145: *ὦ φιλέτατη σὺ καὶ μόνη τούτων γονή*. Av. 280: *οὐ σὺ μόνος ἔρ' ἤσθ' ἔποιψ*. 331: *αἴτιος μέντοι σὺ τῶν κακῶν μόνος*. 894: *ἐγὼ γὰρ αὐτὸς τουτογὶ θύσω μόνος*. Plut. 182: *μονώτατος γὰρ εἶ σὺ πάντων αἴτιος*. Eq. 352: *ἐπὶ σοῦ μονωπάτου*. Ach. 52: *ἐμοὶ δ' ἐπέτρεψαν σπονδὰς ποιῆσθαι μόνῳ*. 131: *ἐμοὶ σπονδὰς ποιῆσαι μόνῳ*. 1020: *σπονδαὶ γὰρ εἰσι σοὶ μόνῳ*. 1057: *δεῖται τί σοι λέξαι μόνῳ*. Eccl. 7: *σοὶ γὰρ μόνῳ δηλοῦμεν*. (Ach. 1061: *Ἦν' αὐτῇ δῶ μόνῳ*.) Pac. 660: *πρὸς σὲ μικρὸν εἰπάτω μόνον*. Eccl. 438: *ἐμὲ μόνον* (*ἔφη εἶναι κλέπτειν*); 439: *ἐμὲ μόνον* (*ἔφη εἶναι σκυοφάντην*); Plut. 468: *κἄν μὲν ἀποφῆρω μόνῳ ἀγαθῶν ἀπάντων οὕσαν αἰτίαν ἐμέ*.

Quum igitur his locis, quibus ex Aristophanis quidem fabulis ubi *ἐγὼ*, *σὺ εἷς* vel *μία* inveniatur opponi possunt nulli, speciosa illa Hamakeri coniectura iam infirmari quodammodo et labefactari videatur, egregium librorum mss. fidei paratur praesidium ab Antiphonte oratore, qui 5, 6: *ἔπαντα*, inquit, *τὰ ἐν ἀδύλῳ ἔτ' ὄντα ἐπὶ τῇ τύχῃ μᾶλλον ἀνάκειται ἢ τῇ προνοίᾳ*. Quo loco quum non id solum quo vulgo utuntur, sed etiam proscriptum illud et damnatum ab Hamakero dicendi genus usitatum fuisse Atticis demonstraretur, necessario in pristina scriptura erit acquiescendum.

## II.

### Aristoph. Av. 724 sqq.

Sed altera est eaque gravior cum eodem viro subeunda dimicatio: modo enim quum una literula in discrimen vocaretur, nunc iam trium versuum salus atque integritas agitur.

Est profecto tanta hodie in hominibus doctis sive narium sagacitas sive ingeniorum subtilitas, ut non solum occultorum quae re vera sunt vitiorum sedem celerrime investigent, sed etiam in sanissimis locis additamenta odorentur et lactissima pulcherrimorum corporum membra propter morbi alicuius suspicionem discernere instituant. Quid dico membra? Theogoniam Hesiodi ab interpolationum venatoribus mirum in modum vidimus vastatam et ad decimam fere, si diis placeat, sui partem redactam; atque Horatius ipse magni illius Batavorum Hippocratis opera iam dimidiatus aliorum qui illum secuti sunt purgationibus in tantam maciem contabuit, ut ego qui-

dem non mirer, si propediem nihil eius nisi umbra quaedam et imago fuerit relicta. Sed — nolo enim Martini nostri iram excitare — quamquam hac medicorum crudelitate in scriptis veterum non immoderati tantum tumores depelluntur, verum eae etiam partes interdum resecantur, sine quibus vita constare non possit: hanc tamen illa severitas habet utilitatem, ut vel inviti cogamur multo melius praeclarissimorum illorum antiquitatis monumentorum naturam intelligere, menda tollere, temere tentata defendere. Veluti in Avibus Aristophanis — ut hoc utar exemplo — nisi Cobetus versus 181. 182 delendos censuisset, non haberemus egregiam Bergkii emendationem (τούτου pro τοῦτο vel τοῦτό γε), non haberemus luculentissimam illam quam Hauptii ingenio debemus totius loci defensionem. Alium eiusdem fabulae ex prima parabasi locum idem ille Hamakerus, quocum nunc modo internecivo bello decertavimus, in suspicionem vocavit obtemperante hic quoque Meinekio, vv. 724 sqq.: nam quae in libris mss. leguntur:

ἦν οὖν ἡμᾶς νομίσητε θεοῖς,  
 ἔξετε χοῖσθαι μάντεσι, μούσαις,  
 αἴραις, ὄραις, χειμῶνι, θέρει,  
 μετρίῳ πνίγει· κοῦκ ἀποδράντες  
 καθεδοῦμεθ' ἄνω σεμννόμενοι  
 παρὰ ταῖς νεφέλαις ὡσπερ χὼ Ζεὺς,

ea resectis ille fortiter quae et inutilia et obscura viderentur hunc in modum contraxit:

ἦν οὖν ἡμᾶς νομίσητε θεοῖς,  
 οὐκ ἀποδράντες  
 καθεδοῦμεθ' ἄνω σεμννόμενοι κτλ.

Est haec sane mascula crisis quam dicit Lobeckius. At profecto talia iam si delebimus, quid tandem a criticorum cultris tutum erit et intactum? Nempe adhuc ita semper accepimus, additamenta ista librariorum icuinitate quadam et siccitate ut ita dicam orationis nimiaque fere et propterea molesta perspicuitate cognosci: quippe homines istos non admodum ingeniosos non dubia quaedam et ambigua planis scriptorum verbis inserere, sed aut pannis aliunde desumptis quae in veterum libris invenerint augere, aut obscuris et difficilibus locis interpretamenta quaedam tamquam intelligendi adminicula adiicere. Haec vero, quae severum Hamakeri iudicium in exsilium misit, tam obscure sunt et inusitate dicta, ut neminem existimem explicaturum esse, quo consilio a librariis inseri potuerint. Deinde illis versibus sublatis quamvis bene ea quae restant inter se ipsa cohaerere videantur, tamen mea quidem sententia universa chori ita perturbatur oratio, ut iam nulla relinquatur huius sententiae cum superioribus coniunctio. Etenim in posteriore parabasi parte, cui is de quo agitur locus adnectitur, id egerat chorus, ut quantum utilitatis ex avium imperio in homines redundaturum esset explicaret (v. 708: πάντα δὲ θνητοῖς ἐστὶν ἀφ' ἡμῶν τῶν ὀρνίθων τὰ μέγιστα). Anni tempora, inquit, aves vobis significabunt; futuros eventus aves omnibus diis melius indicabunt, quippe quorum cantus et volatus iam nunc pro optimo augurio habeatur: si nos igitur (οὖν) pro diis habebitis — sic iam pergit, si nihil ex iis quae in libris mss. leguntur eieceris et probabilem interim, dum accuratius verba obscura exposuerimus, interpretationem admiseris — si nos igitur pro diis coletis, facilem habebitis et auguriorum et anni tempestatum usum: nec vos deserentes in nubibus delitescemus, ut magnus ille Iupiter Olympius, sed semper praesentes vobis et liberis nepotibusque quidquid cupietis praebebitis. Hanc si sententiam exprimere voluit, optime omnia inter se cohaerent: vides enim chorum absoluta et perfecta ea quae proprie dicitur parabasi ἀνακεφαλαίωσε quadam uti, cui egregie convenit οὖν particula; deinde quasi quodam cumulo addito (καὶ οὐκ ἀποδράντες κτλ.) harum utilitatum perpetuitatem et tamquam sempiternam praesentiam hominibus promittit, quum iid Olympii fere procul ab orbe terrarum in caelo suo habitent. Contra si tres illos versus

omiseris, haec iam orietur sententia: anni aetates temporisque futuri eventus optime vobis aves significabunt: si nos igitur pro diis habebitis, nunquam a vobis discedemus. In quibus οὖν particulam intelligis iam non inutilem solum, sed prorsus perversam esse et pro iis quae legimus potius dicendum fuisse: εἶτ' ἦν ἡμῶς νομίσητε Θεούς, praeterea si nos cet. Sed iam dabis, opinor, nihil hic interpolatum esse aut extrinsecus adglutinatum, sed totam sententiam ab ipso poeta esse perscriptam. Non sane iis quae hodie leguntur verbis: nam hoc quidem ego invicem non solum concedo, sed contra quemlibet omnibus viribus contendo verba poetae graviter esse immutata et mirum in modum depravata: quae si culpa librariorum est, iam ego illorum patrocinium in hac certe caussa suscipere non possum.

Quid enim, ut ab his incipiam, sibi volunt ista: ἔξετε χρῆσθαι μάντεσι, μούσαις? Vatum optimum genus aves esse in parabasi chorus praedicaverat; Musarum mentionem fecit nullam: at facta esse deberet, si hic in ἀνακεφαλαιώσει recte commemorarentur. Deinde quomodo tandem avibus homines uti poterunt pro Musis? Invocatur in cantico parabasis (737) Musa silvestris, cuius gratia ac favore adiutae dulcissimos et quasi mellitos cantus aves ex arborum ramis fundant; at invocant illam, non secum comparant; et ut poetae Musarum gratiam opemque exorant, exorata praedicant, non se pro Musis aut Apolline venditant, ita aves nec esse Musae nec haberi pro Musis aut possunt aut volunt. Quamobrem fuerunt qui duo illa vocabula in unam quasi notionem coniungenda et μάντεσι μούσαις pro μουσομάντεσι dictum censerent, ut illud quod olim in Ranis (207) legebatur βατράχων κίχων pro ranis cyenorum in modum canentibus. Sed etiamsi haec interpretatio aliquid praesidii accipere videatur a v. 276, ubi gallus gallinaceus dicitur ὁ μουσομάντις — 'nam habent ostenta praeposteri eorum vespertinique cantus', ut ait Plinius —, tamen ne haec quidem ratio satis placet, quoniam et paucae aves cantu, aliae volatu faciunt augurium, et non haec solum auguria, sed omnia omnino vaticinii genera apud homines οἰωνόν vel ὄρνιν appellari chorus modo praedicaverat (v. 719 sqq.). Sed multo maiores difficultates sequuntur. Pergit enim chorus: (ἔξετε χρῆσθαι) αὔραις, ὥραις, χειμῶνι, θέρει, μετρίῳ πνίγει. Licebit vobis uti auris: at quibus tandem auris? nam in parabasi de horis quidem et navigatione, nusquam vero de auris ventisve locutus erat. Deinde ὥραις etiamsi propter illam ipsam horarum in parabasi commemorationem repetitum videatur, tamen ne ipsum quidem caret offensione. Quid enim? nescire suspicatur chorus spectatores, quae sint anni aetates, ut adiiciendum putet χειμῶνι, θέρει, πνίγει? et iucundissimum anni tempus, cuius adventum omnium maxime votis precibusque homines exoptant (cf. quae adnotavi in editione Avium ad v. 501), ver igitur silentio praeteriit? contra aestatem bis enumeravit? At quis Romanum poetam ferat anni aetates enumerantem ver, hiemem, brumam? ne moneam, si discernendum erat ab aestate calidissimum aestatis tempus, mire profecto eum calorem dici modicum (μέτριον πνίγος).

Sed haec extrema, dummodo recte intelligantur, iam ipsa certissimam, opinor, et interpretationis et emendationis viam muniunt. Nimirum θέρει et μετρίῳ πνίγει non sunt eodem modo ad verbum χρῆσθαι referenda; sed μετρίῳ πνίγει quum sit proprium quod dicunt obiectum, θέρει dativus temporis est, de quo dativo cf. quae adnotavi ad h. v. in editione et quae de Homericis eius usu peropportune nuper disputavit Bekkerus (Homerische Blätter p. 172). Iam tenebris dispulsis certissima adfulget lux et laetissima: apparet enim chorus hoc dicere: si nos pro diis habebitis, frui vobis licebit per aestatem modico aestu. Sed quid illa: αὔραις, ὥραις, χειμῶνι? Qua in re non possum non mirari sive Bothium sive Hotibium, virum in summa coniectandi libidine interdum sagacissimum: qui quum pro αὔραις, ὥραις, χειμῶνι scriberet αὔραις νεαραῖς χειμῶνι, sedem mendii tamquam acu tetigit, emendationem protulit non probabilem, interpretationem etiam peiorem: 'wir werden weissagende Musen (?) euch sein in der Jugend des Jahrs (novellis horis, i. e. vere), in Sommer und Frost und in mässiger Hitze. Rectissime Bergkius desiderari intellexit membrum orationis quod alteri illi θέρει μετρίῳ πνίγει quam accuratissime respon-

deret; sed quum pro ὄρας scriberet ἦρος, hanc ipsam totius loci suavissimamque concinnitatem pessumdedit; illud enim verissime Bothius perspexit, desiderari nomen adiectivum. Emendandum igitur videtur: ἄραις λιαραῖς χειμῶνι, θέρει μετρίῳ πνίγει, frui vobis licebit per hiemem auris tepidis, per aestatem modico calore. Simillimum est illud Horatianum: *ver ubi longum tepidasque praebet Iupiter brumas*: scilicet hanc dulcissimam totius anni temperationem per totum orbem terrarum se regnantibus perpetuo futuram esse aves promittunt. Neque negligenda est gratissima hic et perfectissima chiasmi qui dicitur figura: ἄραις λιαραῖς χειμῶνι, θέρει μετρίῳ πνίγει (a b c, c b a).

Denique quae iam sit totius sententiae ratio, explanandum videtur: nam in parabasi quidem avium beneficio chorus anni tempora hominibus *indicari* dixit, hic vero easdem anni caelique gratam salubremque temperationem *effecturas* esse promittit: quae aliquantum inter se differunt. Nimirum haec comica quadam quam dicas conclusione inter se ita cohaerent. Ut dii anni tempora et praedicunt et efficiunt, ita quisquis aliquid efficit optime id quomodo futurum sit, si quidem potentiam habet voluntati parem, indicare potest: ergo quum aves ex communi hominum opinione iam nunc omnium optime anni tempestatumque vicissitudines significant, sequitur ut eas pro arbitrio suo etiam efficere posse statuamus. Comica, inquam, est conclusio, et sane quam lepida.

Postremo superest ut quid lateat in μάντεσι μοῖσαις expediamus. Sed de his quidem non admodum firma mea est fiducia: nam confiteor me quod omni ex parte placeat nondum invenisse: tentavi μάντεσιν ὀρθοῖς vel μάντεσιν ὄρας, attamen haec tentatio emendationis est, non ipsa emendatio.

### III.

#### Aristoph. Av. 1013 sq.

Quod modo gravissimum cum Hamakero bellum suscepti, id nolim ita intelligi, tanquam ego Cobetinatorum illorum aut famae invideam aut egregias in emendandis scriptoribus graecis virtutes non egregia etiam laude dignas esse censeam. Nae illorum diligentia, etiamsi interdum in revocanda atticae consuetudinis quam sibi mente fixerunt integritate nimii fuerint — nunquam enim ita illa regnabat, ut uni eidemque rei una semper responderet dicendi quasi sacrosancta quaedam formula et singuli scriptores non interdum etiam deflectendum sibi esse a communi vitae usu putarent — tamen praestantissima illorum diligentia tot tantaeque sordes ex antiquitatis monumentis sublatae sunt, ut facile nimiae illi cui nonnunquam indulserunt mutandi emendandique libidini ignoscas. Qua in re Germaniae philologi si auream ut decet medioeritatem probe tenuerint, magnum ex illa ratione et disciplina fructum percipere poterunt. Exempli causa lepidissimum ex Avibus Aristophanis proferam locum, ubi vitium quoddam quod adhuc delituit atticae dicendi consuetudinis norma accuratius perspecta facile tolli posse videatur. V. 1013 sq. enim Pithetaerus, ut Metonem mathematicum Nubicuculiae urbi recens conditae importune se intrudentem quam celerrime abigat, tumultum inter cives ortum esse fingit et

ὥσπερ ἐν Λακεδαίμονι, inquit,  
ξενηλατοῦνται καὶ κελίηται ἑτεροί  
πληγαὶ συχναὶ καὶ ἄστυ.

Libri mss. nihil variant, nisi quod Rav. κατὰ habet pro καί. ξενηλατοῦνται quoniam quo referatur non habet, tentatum est ab Elmsleio, qui ξενηλατοῦσι, a Dindorfio, qui ξενηλατοῦμεν, denique ab Hauptio, qui ξενηλατεῖται legendum esse coniecit: id quod mihi quidem longe praestantissimum videtur,

quum sic etiam quae fuerit caussa depravationis appareat. Similitudine enim numeri verbi quod sequitur (*κεκίνηται*) decepti librarii etiam *ξηνηλατείται* in pluralem numerum commutaverunt. Sed hac emendatione locum elegantissimum nondum esse persanatum diu mihi persuasum est. Nam primum quidem hoc velim doceri, quo sensu hic poeta dicere potuerit: *πληγαὶ κεκίνηται*. Saepissime quidem legimus *κινεῖν θύελλαν*, *κινεῖν κακὰ*, *κινεῖν πόλεμον*, *μάχην*, *στάσιν*, *ὀδόνην*, permulta similia, veluti apud ipsum Aristophanem *κινεῖν χολήν* (Vesp. 403), *πρᾶγμα κεκίνηται μέγα καὶ στάσις πολλὴ πάνυ* (Ran. 759), *τὰ δεινὰ κινήθησεται* (ibid. 796), ut omittamus Lys. 68: *ὁ ἀνάγκυρός μοι κενήσθαι δοκεῖ*: sed nusquam *πληγαὶ κινούνται*, sicuti latine recte dixeris *excitare tumultum*, *rugnam*, *bella*, *seditionem*, non recte, opinor, *movere* vel *excitare verbera*. Namque *πληγαὶ ἐκτείνονται*, *τέπτονται*, *ἐμβάλλονται*, *προσπίβονται*, non *κινούνται*. Et quamvis talia in ornata oratione et figurata, etiam apud comicos, quum tragici cothurni maiestatem vel rident vel imitantur, facile commisceri inter se et confundi soleant, tamen in hac ego simplicissima omnium narratione illam translationum permutationem admitti vix posse arbitror. Sed si de hac re dubitari posse periti harum rerum iudices existiment, aliam proferam gravioremque causam, cur ego haec verba condemnare non dubitem. Quid enim, obsecro, sunt *πληγαὶ συχναὶ τινες* vel *τινὲς πληγαὶ συχναί*? Pronomen indefinitum quod dicunt cum vocabulis paucitatem significantibus saepissime coniungi constat: legimus igitur passim *ὀλίγοι τινὲς* et *τινὲς ὀλίγοι*, *οὐ πολλοὶ τινες* et *τινὲς οὐ πολλοὶ* (Krueg. Gramm. 51, 16, n. 4), *ἔπιοι τινες*, *στρατιὰ τις οὐ πολλή*, *πόλεμος οὐ πολλῶ τινι ὑποδέεστερος*, *ἑπτὰ τινες* (Thuc. 7, 34), *τινὲς δύο* (8, 11), alia similia (cf. *σχεδόν τι*), sed nunquam neque *τινὲς πολλοὶ* neque *πολλοὶ τινες*, nec denique *συχνοὶ τινες* aut *τινὲς συχνοί*, sicuti nos dicimus *einige wenige*, non *einige viele*. Dixit sane Homerus II. 7, 156: *πολλὸς γὰρ τις ἔπειτο παρήγορος ἔνθα καὶ ἔνθα*, sed ita dixit, ut non multitudinem aliquam, sed magnitudinem significaret, ut Od. 18, 382 dixit: *καὶ πού τις δοκέεις μέγας ἔμμεναι*. Diversum est etiam quod apud Platonem legitur Gorg. 455 C: *ὡς ἐγὼ τινὰς σχεδὸν καὶ συχνοὺς αἰσθάνομαι, οὐ ἴσως αἰσχύνοιντ' ἂν σε ἀνερέσθαι*, simillimum ei quod in Phaedone est 58 D: *παρῆσαν τινες καὶ πολλοὶ γε*, de qua loquendi forma doctius quam acutius egit Wyttenbach. ad Plut. de sera num. vind. V, p. 125; diversa haec dico: nam semper in iis *τινὲς* et *πολλοὶ* seiunguntur, non copulantur, vel ita inter se copulantur, ut quod priore loco positum est corrigatur quodammodo et augeatur. Diversa etiam sunt talia, quale hoc: *ἡλίθιοι τινες παρῆσαν πολλοὶ*, ubi pronomen ad nomen *ἡλίθιοι*, non ad *πολλοὶ* referendum est. Praeterea interest aliquid inter singularem numerum et pluralem; et ut concedam dici posse *πολὸν τινὰ στρατιὸν*, *πολὸν τι πλῆθος*, nego dici potuisse *πολλοὺς τινὰς στρατιώτας*; multo acrius vero nego hic dici potuisse *τινὲς πληγαὶ συχναί*, quum universa verborum sententia quamlibet multitudinis deminutionem manifesto recuset. Itaque quum *κεκίνηται* haud commode ad *πληγὰς* referri et *τινὲς* cum *συχναί* coniungi nullo modo posse constet, fieri non poterit quin in iis de quibus agitur versibus turbatum aliquid et quae non bene copulata fuerant iam seiungenda esse statuamus. Qua in re opportune in mentem venit Xenarchi comici, qui in *Πορφύρας* fragm. I (7 in ed. Mein. min.) apud Athen. 6, p. 225 CD v. 7 haec narrat: *εἷς τις θεοῖσιν ἐχθρὸς ἄνθρωπος ... μάχην ἐποίησ' ἐν αὐτοῖς ἐξεπίτηδες εἰς πάνυ· ἦσαν δὲ πληγαί*. Sic enim etiam apud Aristophanem verberum commemorationem a superioribus seiungendam et post v. 1013 plene interpungendum esse censeo: quo facto *τινὲς* mutandum esse apparet, quod in extremo libri margine, ut fit, pro obscurato alio vocabulo, quod legere non possent, librarii posuerunt. Neque ego quidem dubito quin verum invenim scribens:

*ξηνηλατείται, καὶ κεκίνηται φρένες.*

*πληγαὶ συχναὶ κατ' ἄστυ.*

cf. v. 1238. Particulae (*καὶ* vel *δέ*) verbiq̄ue (*εἰσίν*) absentia elegantia loci etiam augeri aliquantum videtur.



IV.

Aristoph. Av. 373.

Multa profecto lectione et multa exercitatione opus est, dum aures ad versuum graecorum suavitatem et venustatem ita se accommodent, ut in re metrica quid Atheniensibus placuerit, quid minus placuerit, quid denique communi consensu improbaverint et explorerint, certo iudicio disceptare possis. Qua in re praeter multa alia caesurae diaeresisque ratio tam difficilis saepe et implicata videtur, ut quid in quoque versuum genere turpe pulchrumve sit vix possit, cur ita sit saepe ne vix quidem possit a nobis sentiri aut cognosci. Sic quamquam in tetrametris trochaicis caesuram, quae firmissima est et constantissima in anapaesticis, adeo sciebam esse multiplicem et variam, ut interdum etiam abesse videretur, tamen nescio quomodo semper offendebam in Avium v. 373, ubi postquam Tereus aves adventu hominum perterritas admonuit fieri posse, ut ab illis aliquid utile discant, chorus indignabundus:

πῶς δ' ἂν, inquit, οἷδ' (sic Brunckius pro οἷ γ') ἡμᾶς τι χρήσιμον διδάξειάν ποτε ἢ φράσειαν;

Cuius offensionis quum mihi caussa non appareret, accuratam omnium versuum trochaicorum comparisonem institui, qua ad postremum eo perveni, ut aurium mearum iudicio me non deceptum esse intelligerem. Etenim praeter magnum eorum numerum, qui legitimam sive caesuram sive diaeresin habent in medio versu, permulti inveniuntur in hunc modum formati:

καὶ διώκειν γῆν πρὸ γῆς, | ἕως ἂν εὔρεθῆ ποτε (Ach. 235);

multi etiam huius exempli:

τοῦτον τὸν ἄνδρ' ἐγὼ ὑδείκνυμι, | καὶ φημ' ἐξάγειν (Eq. 278).

Multo pauciores iam, ut eos omittam quos consulto poeta carere caesura voluit, veluti Vesp. 505. Av. 310. 315, sic conformatos videbis:

κἂν γαμῆ ποί' αὐτὸς | ἢ τῶν ξυγγενῶν | ἢ τῶν φίλων (Nub. 1128),

aut etiam hoc modo:

ταῦτα δῆτ' οὐ δεινὰ | καὶ τυραννίς ἐστίν | ἐμφανής (Vesp. 417);

paucissimos sic:

ἕτερος αὖ | λόφον κατειληφώς τις ὄρεος | οὔτοσί (Av. 279),

εἰ σὺ τολμήσεις | ἐπέρ τῶν πολεμίων | ἡμῖν λέγειν (Ach. 316),

in quo tamen versu paullo debilior praeterea incisio est post ἐπέρ τῶν.

In iis autem, quorum caesura legitimam mediam una syllaba exsuperat, hoc exemplo:

— — — — — | — — — — — ,

aut syllaba ante caesuram posita producitur, veluti

Nub. 607: ἡνίχ' ἡμεῖς δεῦρ' ἀφορμᾶσθαι | παρεσκευάσμεθα.

608: ἡ Σελίγη συντηχοῦσ' ἡμῖν | ἐπέστειλεν φράσαι.

Vesp. 478: νῆ Δί' ἢ μοι κρείττον ἐκστῆναι | τὸ παράπαν τοῦ πατρός.

512: νῆ Δί' εἰθίσθης γὰρ ἤδεσθαι | τοιοῖτοῖς πράγμασιν.

Pac. 645: χρυσίφ τῶν ταῦτα ποιοῦντων | ἐβίνον τὸ στόμα,

aut praeterea etiam in ipsa caesura interpungitur, veluti

Eq. 282: νῆ Δί', ἐξάγων γε τ' ἀπόρηθ', | ἄμ' ἄρτον καὶ κρέας.

1311: ἦν δ' ἀρέσκη ταῦτ' Ἀθηναίους, | καθῆσθαι μοι δοκεῖ.

Av. 1075: τῶν τεθνηκότων ἀποκτείνῃ, | τάλαντον λαμβάνειν.

Lys. 631: ἀλλ' ἐμοῦ μὲν οὐ τυραννεύσουσ', | ἐπεὶ φηλάξομαι.

637: ἀλλὰ θώμεσθ', ὦ φίλοι γράες, | ταδὶ πρῶτον χαμαί,

ad quem numerum pertinet etiam

Av. 1115: ὡσπερ ἀνδριάντες · | ὡς ἐμῶν | ὅς ἂν μὴ μῆν' ἔχη:

ubi post ἐμῶν si non atramento, at voce interpungendum est, neque id solum propter caesuram, sed etiam propter sententiae incisionem.

Versus tetrametros trochaicos, in quibus syllaba ante hanc ipsam de qua agimus caesuram posita corripiatur, ego quidem non legi nisi duo:

Vesp. 341: ἀλλὰ μ' εἰωχεῖν ἐτοιμός ἐστ' · | ἐγὼ δ' οὐ βούλομαι.

Pac. 630: νῆ Δ', ὦ μέλ', ἐνδίκως γε δῆτ', | ἐπεὶ κάμοῦ λίθον:

in utroque tamen numerorum insolentia minuitur interpunctio; at versum eius quem supra indicavi similem Aristophanes prorsus nullum scripsit. Hoc igitur loco percommode accidit quod in libro Rav. legitur *χρήσιμον ἢ διδάξειάν ποτε*, qua lectione posterior quidem versus pars magnopere adiuvatur. Itaque non dubito quin cum Bergkio scribendum sit:

πῶς δ' ἂν οἶδ' ἡμᾶς τι χρηστὸν ἢ διδάξειάν ποτε  
ἢ φράσειαν, ὄντες ἐχθροὶ τοῖσι πάπποις τοῖς ἐμοῖς,

quod quam facile in *χρήσιμον* mutari potuerit, nihil attinet dicere.

## V.

### Aristoph. Av. 492.

Qui in plurimis Aristophanis comoediis facile primum tenent locum libri manu scripti Ravennas et Venetus, ii in Avium emendatione non negligendi quidem videntur, utpote qui in hac quoque fabula optimi et gravissimi verae lectionis testes sint et patroni: attamen nescio quo modo multo rarius ansam praebent verba poetae temporum iniuria depravata restituendi pristinumque nitorem certis coniecturis revocandi. Etenim Avium fabula ut omnibus numeris perfecta et absoluta tum inventionis audacia tum dispositionis simplicitate et constantia, tum diverbiorum festivitate et lepore tum canticorum mira suavitate ac dulcedine vel inter Aristophanis comoedias principatum non tam sibi poscit quam communi omnium consensu traditum obtinet: ita nescio qua fortunae invidia factum est, ut nulla alia tot tantasque opponat nec interpretationi difficultates nec emendationi impedimenta. Namque haud facile dicas eorumne maior sit multitudo locorum, qui quamquam sine dubio recte scripti ad nos pervenerunt, tamen omnes explicationis artes aspernentur et perpetuis ut videntur tenebris premantur, an illorum, qui tam perversam habent et corruptam lectionem, ut nulla nec medicina nec ferro ignive persanari et in pristinam integritatem restitui posse videantur. Qua de re cf. quae in editione mea ad v. 63 et ad v. 167 adnotavi.

Sed quoniam inanes querelae huic loco non videntur convenire, ut tamen quam saepe in hac fabula vitia et menda fallaci codicum mss. consensu occulta lateant ostendam, difficillimum quendam quamquam facillimus videtur locum proferam, quem etsi et libri omnes eodem modo scriptum praebent neque editorum quisquam de eius integritate dubitavit, tamen graviter depravatum nisi coniecturae ope emendari non posse certis, ut spero, argumentis demonstrabo. Lepidissimam illam dico Pithetaeri de pristina quum avium omnium tum galli potentia disputationem (488 sqq.), coniunctam cum Euelpidis de latrocinio in se galli culpa commisso narratione;

sed hodie quidem ita coniunctam, ut quae inter utriusque verba intercedat ratio vix appareat. Etenim Pithetaerus olim galli auctoritatem tantum ubique valuisse dicit, ut hodie quoque homines quasi regni eius diu extincti memores cantu illius matutino audito somnum excutiant et ad opus suum quisque diurnum properent, alii (an iidem? οἱ δέ 492) vero sumtis soleis noctu incedant:

οἱ δὲ βαδίζουσ' ὑποδυσάμενοι νύκτωρ.

Per deos' inquit Euelpides ἦος ego expertus sum (ἐμὲ τοῦτό γ' ἐρώτα): laenam enim Phrygiam huius (galli) culpa miserrimus perdi. Nam quum ad cenam in urbem invitatus post adventum cum hospite paullo cupidius bibissem, somno me dedi: sed vix membra quiete laxaveram, quum priusquam ceteri cenarent ille cantu me excitavit: ego vero mane esse ratus Halimunte proficiscor, sed simulatque ex pomoerio emersi, a grassatore quodam oppressus laenaque spoliatus sum.

Haec recte inter se cohaerere nego, quamquam poetam voluisse cohaerere Euelpides ipse testis est: expertum enim se esse ait id ipsum, de quo Pithetaerus disputaverat. At Pithetaerus galli cantu omnes ad laborem diurnum excitari dixerat, sutores, balneatores, omnes omnino opifices: quod Euelpides ut suo quodam casu comprobari ostendat, veste se aliquando spoliatum esse narrat. Quo quid potest esse absurdius? Nimirum idoneo sensu carent illa (v. 492): οἱ δὲ βαδίζουσ' ὑποδυσάμενοι νύκτωρ. Sed ne ardentius quam prudentius caussam agere videamur, ratione ac via procedat oratio. Ac primum quidem quaerendum videtur, qui homines significantur illis οἱ δέ. Saepissime his voculis transitus paratur ab alio genere ad aliud, ut in hac ipsa fabula v. 530, ubi aucupum in aves iniuriis commemoratis iam emptorum enumerantur; haud raro, apud Homerum quidem, interdum apud Atticos, etiam eiusdem de qua modo sermo fuerat rei commemoratio iteratur (Krueg. Gramm. 50, 1, n. 4. Dial. 50, 1, n. 10. ad Xen. Anab. 4, 2, 6. ad Dionys. p. 264). Age igitur experiamur, quae utraque ratione adhibita sententia oriatur. Iam si οἱ δέ iidem sunt qui antea commemorabantur opifices, Pithetaerus hos omnes dicit galli cantu excitatos noctu sumtis soleis incedere vel foras exire. Intelligerem, si fabros tignarios, architectos, alios id genus opifices diceret, qui ad laborem diurnum foras prodeunt: at ii quos enumerat quum ad opus diurnum accinguntur, neque foras prodeunt neque incedunt ambulantes, sed domi manentes intus opus faciunt: ut ad hos quod dicit Pithetaerus referri nullo modo possit. Si vero οἱ δέ alii sunt et diversi ab illis operariis homines, tum Pithetaerus dicit opifices quidem ad primum galli cantum ad opus se accingere, alios soleatos noctu prodire vel incedere. Quod etiamsi verum sit, tamen et nescio quo modo languet tamque ambiguum est ut quorsum spectet nescias, nec cum Euelpidis narratione ullo vinculo cohaeret, qui non gallorum cantu multos noctu ex aedibus evocari, sed multos gallorum culpa a grassatoribus spoliari testatur. Itaque si id quod necessarium est statuimus Euelpidis narrationem cum Pithetaeri argumentatione artissime coniunctam esse debere, concedendum videbitur etiam in Pithetaeri verbis necessario olim factam fuisse latronum mentionem. Sic igitur ille: quanta olim fuerit gallorum potentia, ex eo perspicitur quod hodie quoque tantopere iam imminuta et paene fracta avium auctoritate illorum voce non opifices solum ad laborem, sed grassatores etiam ad latrocinandum excitantur.

Et quum ad hunc iam disputationis meae locum pervenerim, facere non possum quin cum maesto quodam desiderio recorder amici dulcissimi, cuius consuetudine mihi per brevius quam vellem tempus frui licuit, Lud. Herbstii. Is quo est ingenii acumine, quum inter varias de poetarum tum graecorum tum nostratium carminibus concertationes etiam in hunc aliquando Avium locum sermo incidisset, de vulgatae lectionis pravitate mecum consentiens facillimam simplicissimamque hanc adferebat medicinam, ut pro οἱ δέ scriberet οἱ δέ et post νύκτωρ reticentiae quam Cicero dicit figuram statueret, abruptam ratus Pithetaeri orationem Euelpidis impatientia. Tum igitur Pithetaerus: opifices quidem galli voce ad laborem evocantur: qui vero noctu sumtis

soleis prodeunt' -- 'latrocinium meditantur' additurus erat: sed Euelpides impatienter etiam interpellans suo se hoc damno expertum esse clamat. Sed ne haec quidem ratio, quamquam multo iam est librorum mss. editionumque lectione probabilior, omnem videtur eximere dubitationem. Nam ne dicam Euelpidem sic quod vix quisquam possit divinare animo praecipere -- nam grassatores a Pithetaero significari quis tandem ex verbis eius coniciat? --, sententiarum ordo ne sic quidem optime decurrere videtur. Etenim si Pithetaerus operarios galli voce ad laborem excitari, eos autem qui noctu soleati foras prodeant latrones esse narrat, in hoc posteriore sententiae membro ab ea quam instituerat de potentia avium et praecipue gallorum disputatione mirum in modum deflectit: nam iam diversos esse diei noctisque labores dicit, sed nocturna quoque opera quo modo ad galli regnum pertineant, non explicat.

Itaque in illa quam multo iam antea conceperam opinione perseverandum et in voce *ὑποδραμένοι* mendum aliquod latere existimo: quae opinio nescio an eo magnopere confirmetur, quod formae verborum *ὑποδείσθαι*, *ὑπολέσθαι*, *ἀποδύειν* saepissime inter se confunduntur: quae de re praeter alios nuper disputavit Hirschgius ad Vesparum v. 1157. Quum enim grassatorum commemoratio in Pithetaeri verbis ita desideretur, ut eos omittere omnino non potuerit, conicio vocem *ὑποδραμένοι*, quae vox mirum quantum hic languet, natam esse ex aliqua verbi *ἀποδύειν* forma, cuius in vestium spoliatione usus est proprius: cf. quae in editione ad h. v. adnotavi. Scribendum igitur erit:

*οἱ δὲ βαδίζουσ' ἀποδύσοντες νύκτωρ.*

Quo facto iam haec nascitur sententia. Tantum olim, inquit Pithetaerus, galli valuerunt, ut etiam hodie ad vocem eorum homines somnum excutiant et opifices quidem ad opus faciendum, grassatores vero ad homines spoliandos surgant. Noctu eos id facere addidit, non quo interesse aliquid inter nocturna et diurna negotia indicaret, sed ut vel invitos omnes ad galli cantum etiam multa de nocte expergisci doceret; cf. Horat. Epist. 1, 2, 32: *ut iugulent homines, surgunt de nocte latrones*. Praeterea autem hac ipsa noctis commemoratione facillimus ad Euelpidis fabellam transitus paratur, quippe qui ipse quoque intempesta nocte galli voce excitatus vestem perdidit.

## VI.

### Aristoph. Av. 930.

Parodia comica, de qua est doctissima et prudentissima Tauberi Berolinensis commentatio, haud raro nonnihil habet difficultatis, quum aliorum poetarum non integri quidam versus sententiaeve, sed singulae voces vel versuum sententiarumque tamquam fragmenta hinc illinc decerpta et mirum in modum rursus inter se coniuncta et conglutinata proferuntur. Etenim quum sic iam non ipsis auctoris verbis, quippe quae ex orationis quasi compage revulsa prorsus alium novumque praebeant sensum, sed disiectis tamquam poetae membris et ridicule rursus connexis spectatorum risus captetur, perdifficilis saepe oritur quaestio, quo usque in tali irrisionis libertate progredi liceat poetae comico, si scriptorem sibi inimicum, non se ipsum velit rideri. Qua in re mihi quidem ita videtur esse statuendum: ubicumque non mutata alius auctoris verba irrisionis causa proferantur, siquid in iis insit inepti quod ab communi hominum sensu nimis abhorreat, iure rideri scriptorem horum auctorem; tum ubi poeta comicus pro suo arbitrio verba auctoris vel etiam duorum triumve auctorum immutaverit et discerpta ridicule

conglutinaverit, ibi, si his ita mutatis scita sententia et lepida oriatur, inprimis cerni vim comicam etiam sine ulla alterius irrisione; ubi vero in iis quae poeta distrahendo contexendoque immutarit aliquid frigidi vel inepti inveniatur, non in verbis auctoris auctorumve ipsis, sed in iis quae comicus addiderit, iure non auctorem, sed comicum ipsum rideri, quippe qui suo officio male sit functus. Quod quoniam Aristophanem unquam in se admisisse vix ego crediderim, quaedam eiusmodi irrisionis exempla quae in eius comoediis leguntur depravata esse aliqua ex parte existimo. Veluti Nub. v. 337, ubi inter dithyramborum fragmenta quaedam leguntur tam inepte et inficete coniuncta, ut si quid in illis verbis ridendum esset, id non poetis dithyrambicis, sed Aristophani adscribendum videretur. Nam quae proferuntur singula nullam habent reprehensionem, coniuncta vero omni omnino sensu carent: quae culpa soli esset comico tribuenda. Sed quoniam ille dithyrambicos sine dubio poetas illis versibus ridere volebat, ego quidem nec dubitabam nec nunc dubito quin emendatio aliqua sit tentanda: qua in re miror ipsum Tacuberum non a me stare, sed ab iis qui librorum mss. auctoritatem in Aristophanis fabulis admodum interdum fallacem mordicus tenendam esse censent. Sic etiam in Avium v. 1002 — quamquam hoc exemplum non ad idem de quo agimus parodiae genus referendum est — propter ea quae ibi a Metone sine ullo sensu proferuntur non Meton, sed Aristophanes ridendus esset, nisi facillima quam ex parte iam Suevernis indicavit interpunctionis immutatione perspicuitas orationi restitueretur. Locus haud dissimilis legitur in Av. vv. 924 sqq., ubi miserrimus quidam versificator potius quam poeta, Pindarici fontis qui non expalluit haustus, pro carmine quod in Nubicuculiae urbis honorem se compositurum esse pollicetur tunicam palliumque a Pithetaero petit. Inuitur ibi suavissime Aristophanes vel potius paene totum exprimit carmen quoddam Pindari hodie deperditum, quo ille ab Hierone postularat ut aurigae qui mulabus victoriam Olympiae reportaverat currum gratificaretur. Hoc igitur carmine paucis tantummodo verbis in suam sententiam deflexis, multis etiam ridicule alieno loco retentis, lepidissime poeta iste utitur ad exorandum Pithetaerum:

σὺ δὲ πάτερ, κτίστορ Ἀίτνας,  
 ζαθέων ἱερῶν ὁμώνυμε,  
 δὸς ἐμὴν ὄ τι περ  
 τεῖ κεφαλῆς θέλης  
 πρόφρων δόμεν ἐμὴν τεῖν.

Extrema (ὄ τι θέλης δόμεν ἐμὴν τεῖν) sensu carere interpretes ad unum omnes concedunt, sed hac ipsa re arbitrantur leporem ac venustatem loci contineri. Quod ne tum quidem concederem, si Pindarus ipse haec aut dixisset aut dicere potuisset: esset enim sententiae prorsus ineptae frigida et illepidi irrisio; quum autem Pindarus nunquam ita dixerit et inficeta haec inanium verborum coniunctio non ipsius sit sed Aristophanis, hic ridendus esset, non Pindarus. At, inquiunt, quoniam hic sit aut non sit sententia, nihil refert: exagitantur enim sive generatim poetae lyrici sive nominatim Pindarus, quod cupidius paullo utantur formis doricis, tamquam in his posita sit summa lyricae poesis vis et virtus. Propterea igitur formas ἐμὴν τεῖν Pindaro lyricisque multum usitatas et dilectas hic coniunxit, securus de damno et insulsitate sententiae. Sed ne haec quidem excusatio admitti potest: nam τεῖν — id quod miror interpretes adhuc neglexisse — neque forma est dorica neque apud Pindarum legitur. Audi testem locupletissimum Ahrensi-um, De dial. dor. p. 252: 'τεῖν saepius doricum dicitur, sed nunquam legitur in purioribus Doridis fontibus, ne apud Pindarum quidem vel Theocritum: quare grammatici Homericum τεῖν doricae terminationis causa doricum existimasse videntur.' Itaque quum quae vulgo leguntur defendi nulla ratione possint, etiam hic emendationem tentandam esse concedes: neque ea admodum difficilis videtur: vix enim dubitari potest quin scripserit Aristophanes:

δὸς ἐμὴν ὄ τι περ  
 τεῖ κεφαλή θέλης  
 πρόφρων δόμεν ἐμὴν τεῶν.

τεῶν pendet ab ὄ τι et est genetivus partitivus quem dicunt (*quidquid de tuis dare mihi volueris*).

## VII.

Aristoph. Av. 865 sqq.

In libris mss. non solum verba scriptorum saepe graviter depravata esse, sed multa etiam sive temporum iniuria sive librariorum negligentia — nam verum dicere etiam defensorem decet — sine ullo intertrimenti vestigio periisse inter omnes ita constat, ut hic commemoraturus non fuerim, nisi in quibusdam Avium locis ad verba poetae recte intelligenda plurimum valeret. Exempli caussa unum eligo locum, qui etiam praeterea variis mihi modis videtur turbatus esse, quamquam editorum nemo quisquam quod sciam de integritate eius dubitavit. Illam dico fabulae partem, in qua Pithetaeri iussu sacerdos a novis istis ex avium stirpe diis precatur, ut salutem felicitatemque Nubicuculiae populoque Nubicuculiensium praestare velint. Ac primum quidem moneo toto hoc loco mihi personarum notationes mutandas videri. Quum enim preces ipsae recte omniumque consensu sacerdoti tribuantur, versus qui interponuntur vulgo Pithetaero adscribuntur, a cuius persona mirum quantum alieni sunt. Festivitatis enim facetiarumque sunt pleni ex eo genere, quae, nisi Euelpides post v. 847 Pithetaeri iussu discessisset, huic omnino forent tribuendae: adeo ad mores eius atque ingenium sunt accommodatae. Verum enim vero quoniam is discessit neque quisquam praeter sacerdotem et Pithetaerum in scena relictus est, necessario editores Beckium Dindorfiumque secuti Pithetaero esse illos versus adscribendos existimarunt, tamquam ab histrione solo talia, non etiam a choro vel potius a coryphaeo possent proferri: a quo vel aptissime iam propterea proferuntur, quod sacerdotis preces publice factas etiam populum faustis adclamationibus prosequi consentaneum est. Praeterea Pithetaero non conveniunt, quia is ipse novorum illorum numinum auctor et quasi inventor est, suam autem ipse inventionem nec mirari apte potest nec irridere. Contra chorus quum eorum numinum nomina nunquam adhuc audiverit, simul vero lepidissima illa deorum cum avium nominibus compositione et quasi conglutinatione immane quantum delectetur, aptissime omnium illa verba pronunciasse credendus est.

Verum ut ad propositum redeamus, excidisse ibi quaedam iam ex eo apparet, quod avium quae a sacerdote (v. 881 sqq.) enumerantur nominibus unum quoddam adiungit scholiasta, quod commemoratum etiam ab Hesychio in libris mss. non legitur, sed iure a Meinekio post v. αἰγιθάλλω (888) insertum est: καὶ ἡρισάλλιγι. Hoc velim teneant si qui forte in iis quae iam dicturus sum nimiam quandam audaciam invenire sibi videantur. Totum enim locum eo quo vulgo legitur modo ab Aristophane haudquaquam scribi potuisse, sed duplici praeter ea quae iam indicavi menda depravatione laborare contendo.

Ac primum quidem paullo diligentius qui has paginas inspicient hoc velim attendant, qui tandem possit fieri, ut invocatis ab sacerdote Vesta et miluo ceterisque diis deabusque Olympiis chorus Suniacepitrem adoret (ὦ Σουνιέρακε, χαῖρ', ἄναξ πελαργικέ). Multum enim profecto haec discrepant a reliquis quae sacerdotis precibus interponuntur chori exclamationibus. Nam invocato Dianae ἀκαλανθίδος numine, cuius cognomen ex Ἀρτέμιδος Κολαινίδος antiquissimo nomine ludiera quadam immutatione fictum est, coryphaeus: non iam igitur inquit 'Κολαινίς, sed ἀκαλανθίς Diana vocabitur': et ubi audivit magnam matrem deorum hominumque iam non Cybelen esse sed passerculam (cf. quae ad h. l. adnotavimus in editione), hanc ludibundus adorat:

*δέσποινα Κυβέλη, στρούθει, μήτηρ Κλεοκρίτου.*

Vides eum semper nova quae audivit nomina laeta quadam hilarique admiratione quasi comprobare, sicuti etiam ubi pro Nubicuculiensium salute precibus factis sacerdos Chiorum ut fidelissimorum omnium sociorum nomen adiungit, quod etiam Athenis in sollemnibus precationibus addi solebat, 'quam belle' inquit 'quod apud nos quoque Chiorum in re sacra mentio fit'. Et rectissime haec quidem: chorus enim ipse nova illa et recens inventa novorum deorum nomina antequam a sacerdote proferantur ignorat iisque auditis demum tamquam inexpectato quodam et lepido commento laetatur. Iam vero attende quam egregie cum iis quae modo diximus initium precationis congruat. Orditur sacerdos a Vesta τῇ ὀρνθειῶ et miluo τῷ ἐστιούχῳ et avibus omnibus Olympiis: quo facto continuo coryphaeus:

*ὦ Σονιέρακε, χαῖρ', ἄναξ πελαργικέ.*

Σονιέρατος fuerat ab antiquis temporibus Neptunus, quippe cui ut aequoris (πελάγους) domino in Sunio promontorio a nautis in altum properantibus supplicaretur; iam ex eo in avium regno factus est Suniaccipiter (Σονιέρακος) ciconiarum dominus. Sed unde tandem, obsecro, chorus miro illo cognomine nondum audito Neptunum iam non Σονιέρατον, sed Σονιέρακα vel Σονιέρακον, si diis placet, appellandum esse sciebat? Scilicet haec nomina non minus nova sunt et inaudita quam Dianae ἀκαλανθίδος et passerulae magnae deum hominumque matris maiestas. Si usquam valet analogia, hic certe valet: itaque ut de ἀκαλανθίδος Dianae cognomine et de passerula deum matre chorus exsultare non potest nisi antea his a sacerdote invocatis, ita Neptunum Suniaccipitrem adorare non potest priusquam sacerdos eius mentionem fecerit. Ex quo sequitur, ut ante v. 868 excidisse quaedam sacerdotis verba statuamus, vel Ποσειδῶνι τῷ Σονιέρακι, vel, si quidem hanc formam poetae comico fingere licuit, Ποσειδῶνι τῷ Σονιέρακῳ, cui vocativi forma Σονιέρακε etiam melius conveniat. Pelargici regis cognomen suo, ut dicitur, Marte fictum addidisse videtur, sicuti v. 876 iis quae sacerdos dixerat στρούθει τῇ μεγάλῃ μητρὶ θεῶν καὶ ἀνθρώπων ipse adiecit Κυβέλη, μήτηρ Κλεοκρίτου.

Sed duplici supra diximus hunc locum macula inquinatum videri: abstergeamus igitur etiam alteram. Salutem ut Nubicuculiae praestent et felicitatem, primum sacerdos orat Vestam et miluum et omnes aves Olympias, deinde cycnum Pythium et Latonam et Dianam et fringillam Sabazii et passerulam magnam deorum hominumque matrem. Quo vero per deos immortales ordine? Sicuti nostra aetate, quum pro patriae salute publice preces fiunt, in verborum sollemnium nuncupatione sacerdos primum regis, deinde reginae, tum successoris designati uxorisque eius, denique reliquorum omnium qui ad familiam regiam pertineant mentionem facit, nunquam vero, si sana mente est, primum regem, deinde reliquos consanguineos, deinde reginam filiumque regis nominat: ita in hac deorum enumeratione primum summi et potentissimi, ii qui essent maiorum gentium commemorandi, tum reliquorum omnium, quos nominatim invocari non opus esset, generatim mentio adiicienda erat. At sacerdos iste temere inverso ordine unum aliquem vel duo ex novis suis diis nominatim, tum ceteros generatim, tum rursus alios nominatim adorari iubet. Longe aliter in Thesmophoriazuzis (332 sqq.) praeco mulieres Atheniensium adhortatur ut adorent deos deasque Olympios et Olympias, Pythios et Pythias, Delios et Delias omnesque reliquos. Itaque non dubito quin in Avibus verba καὶ ὄρνισιν Ὀλυμπίοις καὶ Ὀλυμπίησι πᾶσι καὶ πάσῃσιν in alienum migraverint locum et post v. 677 ante verba δίδοναι Νεφελοκοκκυγέῃσι transponenda, tota autem precatio in hunc modum conformanda sit:

*εὔχεσθε τῇ Ἑστία τῇ ὀρνθειῶ καὶ τῷ ἰκτίνῳ τῷ ἐστιούχῳ καὶ Ποσειδῶνι τῷ Σονιέρακι (Σονιέρακῳ?) . . . καὶ κύνῳ Πυθίῳ καὶ Ἀηλίῳ καὶ Ἀητοῖ ὀρνυομήτρῳ καὶ Ἀρτέμιδι ἀκαλανθίδι . . . καὶ φρυγίῳ Σαβαζίῳ καὶ στρούθει μεγάλῃ μητρὶ θεῶν καὶ ἀνθρώπων . . . καὶ ὄρνισιν Ὀλυμπίοις καὶ Ὀλυμπίησι πᾶσι καὶ πάσῃσιν, δίδοναι Νεφελοκοκκυγέῃσιν κτλ.*

VIII.

Sophocl. Antig. 599 sqq.

Metaphoram, quam translationem dicunt Romani, Quintilianus (8, 6, 8) interpretatur breviorē esse similitudinē eoque tantum distare, quod illa (similitudo) comparetur rei quam velimus exprimere, haec (metaphora) pro ipsa re dicatur. De cuius usu egregie quisquis est auctor Rhetoricorum ad Herennium (4, 34, 45): 'translationem dicunt pudentem esse oportere, ut cum ratione in consimilem rem transeat, ne sine delectu temere et cupide videatur in dissimilem transcurrisse.' Et in eandem sententiam Quintilianus (8, 3, 37), ubi de similitudine agit, sed ita agit, ut praeceptum eius etiam ad translationem pertineat: 'quo in genere id est praecipue custodiendum, ne id quod similitudinis causa adscivimus aut obscurum sit aut ignotum: debet enim quod illustrandae alterius rei gratia adsumitur ipsum esse clarius eo quod illuminat.' Quod quamquam praecipue oratoribus scriptoribusque iis omnibus qui soluta oratione utuntur cavendum est, tamen etiam in poetas cadit, tum praesertim quum ex altera in alteram translationem transitur. Hoc enim transitu boni et praeclari poetae, aeterna illa verae pulchritudinis et venustatis exempla, ita tantum utuntur, ut a similibus ad similia naturae ipsius quasi vestigiis incedentes eos qui audiunt leguntve deducant, non per diversa prorsus inter se et aliena temere, tamquam si ipsi incerti sint ignarive viae, abripiant. Veluti quum apud Aeschylum Prometheus (1051 sq.) Iovi se non cessurum dicit, etiam si ille *duro necessitatis turbine* in Tartarum se deiciat, quae alienae inter se primo adpectu videntur duritiae et turbine notionēs, aptissime tamen ambae ad invictam necessitatis vim relatae tamquam cognationis quodam vinculo coniunguntur. Et quum Persarum chorus (Pers. 114 sq.) *mentem atratam ait metu et sollicitudine lacerari* (*μελαγχίτων φρήν ἀμίσσεται φόβῳ*), triplici sane et audaciore utitur translatione, sed ita tamen, ut animum atris curis tamquam veste quadam involvi et curarum quasi verberibus affligi facillime intelligas: nam et *atras curas* et *curis animum obscurari vel velari et sollicitudine animum lacerari* rectissime dixeris. Similiter Sophocles (Oed. R. 482) ubi Apollinis Delphici oracula *viva semper circumvolare* fingit, pulcherrime et vitam et volatum dei vaticiniis tribuit, utpote quae nunquam exstinguantur, sed usquequaque sontis mentem perterreant. Neque minus venusta metaphora in eiusdem fabulae cantico (865 sqq.) legum divinarum maiestatem describit: quae quasi *ex caelo in terram delapsae* (*ὑψηπετεῖς* enim, non *ὑψηποδες*, cum Nauckio legendum censeo) *ab Olympo ex aetheris auris prognatae nulla nec oblivione sopiantur nec senectute infirmentur*: quae quamquam multiplex est et paullo difficilior translatio, tamen ita non obscurat orationis perspicuitatem, ut per partes eius tamquam per varias laetissimi fluminis ripas sine ullo impedimento decurras. Iam cum his velim quem supra indicavimus Antigoniae locum compares:

*νῦν γὰρ ἐσχάτας ὑπὲρ  
 ῥήζας ἐτέτατο φάος ἐν Οἰδίπου δόμοις,  
 κατ' αὖ νῦν φοινῖα θεῶν τῶν  
 νεοτέρων ἀμῆ κόνις,  
 λόγον τ' ἄνοια καὶ φρενῶν Ἐρινός.*

In libris mss. legitur *ῥήζας τέτατο*: cuius loco utrum reponas *ῥήζας ἐτέτατο*, quo facto *ἀσυνδέτως* ideoque fortius altera proferetur enunciatio, an *ῥήζας δ' τέτατο*, quod ad vulgarem dicendi consuetudinem magis est accommodatum — utrum igitur hoc an illud reponas, magis rhetorica est quaestio quam quae ad universam loci sententiam pertineat. Itaque si hac quaestione ad tempus ommissa quidnam poeta illis verbis significare voluerit quaeras, tantae profecto tenebrae mentis oculis offunduntur, ut Ariadnae filo opus esse videatur, cuius ope ex hoc verborum quasi quodam labyrintho te expedias. Quid enim? primum, ut ea quae mire inter se connexa sunt et



implicata tamquam telae cuiusdam confusa et perturbata stamina dissolvamus paullulum et discriminem, primum igitur lux nescio quae super extremam radicem in Oedipi domo porrecta est: in quibus iam triplex inest translatio, neque ea admodum apta, quoniam quomodo lux cum radice cogitatione possit comprehendi vix intelliges; tum vero eadem lux — lucem enim utique melius dixeris quam lumen — demetitur, quae altera est et longe omnium durissima translatio, quum lux lumenve extinguere quidem et obscurari, sed neque secari neque meti possit; denique demetitur cruento deorum inferorum pulvere. Sunt alii qui non lucem sed radicem demeti interpretentur, idque ad translationis rationem multo prudentius; sed etiam ex horum sententia relinquatur lux super radicem porrecta et radix demessa deorum inferorum pulvere. Et talia monstra et portenta pro Sophocleis venditari nobis patiemur? quae ad Philoclem potius vel quemlibet alium Aeschyleae obscuritatis insulsum imitatore referenda videantur quam ad dulcissimum omnium et sapientissimum vel Atticorum poetam? Intellexit id Reiskius, qui pro pulvere (*κόνης*) rectissime restituit falcem (*κοπίς*): ita enim iam non pulvere, id quod neque fieri neque cogitari ullo modo potest, sed falce metunt dii inferi; sed quid metunt? Lucem, si diis placet superis et inferis, quae super extremam radicem in Oedipi aedibus porrigitur, aut radicem, super quam lux illa panditur. Ego vero, ut Reiskium egregie unum vitium sustulisse arbitror, ita non dubito quin ne reliqua quidem ut leguntur ferri possint: nam sive lucem super nescio quam radicem porrectam sive radicem nescio qua luce illustratam inferorum falce demeti interpretantur, talia Sophoclem dixisse nulla unquam nec vi nec ratione commovebor ut credam: *οὐ γὰρ πείσεις, οὐδ' ἦν πείσης.*

Sed priusquam nostram de hoc loco suspicionem proferamus, quid universe poeta illis verbis significare voluerit videtur quaerendum esse. Deplorat chorus ingentem calamitatum multitudinem in Labdacidarum domo aliarum super alias cumularum; neque unquam miserrimam illam gentem maiorum malis relevari, sed deorum fati ad certam perniciem ruere: nam nunc etiam Antigonom, ultimam quasi Oedipodeae gentis propaginem, inferorum falce demeti. In his non Sophoclea ubique quae nunc quidem leguntur verba, sed scholiastae ex parte interpretationem expressimus, qui ad v. 599: *τὸ δὲ λεγόμενον*, inquit, *ἐστὶ τοιοῦτο · νῦν γάρ, ὅπερ ἐτέτατο, φησί, καὶ σωτηρία ἦν τοῖς οἴκοις τοῦ Οἰδίποδος, ἐσχάτης ὑπὲρ ἑλζης, ἀντὶ τοῦ, ὅπερ ἔβλασταν ἄνω τῆς ἑλζης, θάνατος καταλαμβάνει · νῦν γάρ, φησὶν, ὅπερ ἦν λειψανον γενεᾶς, τοῦτο μέλλει καλύπτειν ἡ κόνης* (pro quo legendum est *κοπίς*) · *τὸ καταλειφθέν φησὶν ἀπὸ Οἰδίποδος βλάστημα.* In quibus verbis duas vides inter se pugnare interpretationes: quarum altera *φάος* esse salutem (*σωτηρία ἦν τοῖς οἴκοις*) super extremam radicem porrectam cum reliquorum interpretum multitudine dicit, altera plane novam *propaginis* notionem, unice illam quidem loco Sophocleo convenientem profert, quae tamen ab iis quae nunc leguntur verbis aliena sit. Sed de hac mox videbimus. In iis quae Sophoclis et codices et editiones hodie praebent verbis quaeritur, quid sit *ἐσχάτη ἑλζα*, quid significetur luce illa super extremam radicem porrecta, denique quid sit quod deorum inferorum falce vel etiam pulvere demetatur. Quibus de controversiis G. Hermannii et Wunderi sententiae nobis instar omnium esse poterunt: nam reliqui editores quamquam multum inter se dissentiunt, tamen maxima ex parte cum alterutro faciunt, in levioribus tantummodo rebus suam quisque viam ingredientes. Et Hermannus quidem *ἐσχάτην ἑλζαν* interpretatur esse filias Oedipi, quae solae iam ex Labdacidarum gente supersint. Itaque *φάος* ex eius sententia est 'quod ex harum virginum *vua* in Oedipi domo expansum erat lumen'; idque lumen 'obruunt dii inferi, animique vesania et mentis furialis error.' Ad quam sententiam eliciendam pro *ὑπὲρ* scripsit *ὅπερ* (et *ἐτέτατο*). Verum etiamsi haec facillima sit et lenissima emendatio, tamen mirum videtur filias Oedipi solas ex tota gente superstites dici extremam *radicem*; nam radix est id ex quo alia generantur non id quod ipsum ex aliis generatur: itaque parentes quidem recte quasi radices liberorum dicentur, virgines inuptae, si quid video, non recte. Accedit quod perversa illa lucis

h. e. salutis obrutae vel potius — ita enim Sophocles — demessae translatio in tanto poeta ferri non potest. Hac difficultate, opinor, Wunderus commotus aliam ingressus est interpretandi rationem. 'Comparat' inquit poeta gentem Labdacidarum cum arbore deiecta, cuius una relicta radix sit, ex qua nova arbor efflorescere possit. Radice illa significat Antigonom, ex qua laeta fuerit spes fore, ut cum Haemone, cui desponsata erat, nuptiis coniuncta novum genus renasceretur. Etiam extremam illam radicem exstirpari iam a deo propter dementiae Antigoniae ait. Itaque *ἐσχάτην ῥίζαν* Antigonom, lucem super eam porrectam (?) laetam liberorum spem ex pacto iam cum Haemone coniugio procreandorum interpretatur; sed radicem illam (Antigonom) iam exstirpari a diis inferis. Iam vides non lucem meti, sed radicem, quod quamquam aptius, tamen ne ipsum quidem aptissimum est; radix enim exciditur vel effoditur, non metitur; metuntur vero non quae sub humo latent, sed quae super solum se adtollunt. Remanet praeterea etiam apud Wunderum illa quam supra indicavimus in radice explicanda difficultas.

Quae quum ita sint, ego non solum ab editoribus, sed etiam a libris mss. discedendum esse existimo. Ac primum quidem ab editoribus ita dissentio, ut extrema illa radice Antigonom significari non posse contendam. Extrema quam Sophocles dicit radix sine dubio antiquae illi radici opponitur, qua dempta imagine Labdacus vel etiam Laïus significatur. Nam ea cui haec de quibus agimus verba continuo subiiciuntur cantici parte calamitates Labdacidarum non tunc primum ortas, sed ad pristina illa eius gentis fata pertinere (*ἀρχαῖα τὰ Λαβδακιδῶν οἴκῳ πῆματα ἐπὶ πῆμασι*) neque patrum pernicie liberos liberari (*οὐδ' ἀπαλλάσσει γενεὴν γένος*), sed universos deorum voluntate exstirpari indicaverat. Sed illa pristina radix iam diu exaruit: pro qua iam extrema illa succrevit, ex qua ultima gentis propago, Eteocles cum fratre, Antigona et Ismena nati sunt, h. e. Oedipus cum uxore Iocasta. Verum hi quoque mortui sunt: et qui novi generis auctores esse poterant, Eteocles et Polynices, primum gravissimas inter se inimicitias exercuerunt, tum bellum civile excitarunt, postremo mutua caede alter alterum interfecerunt, ut Thebanorum civitati ex illis nihil solatii aut salutis effluerit. Iam de nova extremae illius radicis propagine una superest Antigona: Ismenam enim in talibus, quo graviosem civibus de Antigoniae fortuna inurat dolorem, chorus fere omittit: una superest et ultima gentis non radix, sed ab extrema radice *propago* — *βλάστημα* dicunt scholia —: sed etiam hanc ipsam deorum inferorum severitas demetere meditatur. Itaque etiam a libris mss. dissentio, et ita quidem, ut *φάος* illud, quod tantas in hac sententia turbas excitarit, tandem aliquando extinguendum et, quum ultima gentis radix Oedipus et Iocasta sint, Antigonom unam quae ex eorum genere relicta sit *propaginem* dici statuam: qua in re si necum consenties, necesse erit quod in voce *φάος* latet mendum tolli atque ita tolli, ut non solum perspicuitas orationi reddatur, sed etiam vitiosa illa et intolerabilis quam dico translatio emendetur. Utrumque perfeceris, si mecum scribes:

*νῦν γὰρ ἐσχάτας ἐπέρ  
ῥίζας ὃ τέτατο θάλος ἐν Οἰδίπῳ δόμοις,  
κατ' αὖ νῦν φοινῖα θεῶν τῶν  
νεοτέρων ἀμῶ κοπίς,  
λόγον τ' ἄνοια καὶ φρενῶν Ἐρινός.*

Iam habes orationem vere poeticam et translatae quidem, sed ita translatae, ut poeta ab initio usque ad finem sententiae in eadem similitudine prudenter et modeste, ut decet, permanserit: nunc enim' inquit 'quae super extremam gentis Labdaceae radicem se sustulerat *propago* in Oedipi domo, eam ipsam iam deorum inferorum falx demetit.' Iam non dubitabis quin *νῦν* ad *θάλος* sit referendum, neque usquam lucem desiderabis, quamquam falsa illa et suspecta lux evanuit. De nomine *θάλος* autem vix opus erit admonere simillime Homerum de Nausicaa dixisse Od. 6, 155: *μάλα ποῦ σφίσι θυμὸς αἰὲν ἐνφροσύνῃσιν λαίνεται εἵνεκα σείῳ, λευσσόντων*

τοιόνδε θάλος χορὸν εἰσοικνεῦσαν. cf. Il. 22, 87: οὐδ' ἔτι ἔγωγε κλισομαι ἐν λεχέεσσι, φίλον θάλος (Hector), ὃν τέζον αὐτῆ. Hymn. Cer. 66: ζοῖρην, τὴν ἔτερον, γλυκερὸν θάλος. 187: παῖδ' ἰσὸν κόλπῳ ἔχουσα, νέον θάλος. Pind. Ol. 2, 81 (45): λείφθη δὲ Θέρσανδρος, Ἀδρασιδᾶν θάλος ἀρωγὸν δόμοις. 6, 116 (68): Ἡρακλῆς, σεμνὸν θάλος Ἀλκαῖδᾶν, denique Eur. Phoen. 88: ὦ κλεινὸν οὔχοις Ἀντιγόνη θάλος πατρί, ubi cf. Valckenaer.

## IX.

### Plat. Protag. 333 E.

Facillime a Sophocleo de quo modo egimus loco ad alium transducimur haud ita dissimilem, qui legitur apud Platonem in Protagora, ubi clarissimus ille sophista, Socratis quaerendi respondendique brevitate et disputandi subtilitate labefactatus et de superbiae suae gloriaeque fastigio paene deiectus inhonestum certaminis quod cum illo inierat exitum iamiam providere animo et praesentire videtur: *καὶ μοι ἐδόκει ὁ Πρωταγόρας, inquit Plato, ἤδη τετραχίνθαι τε καὶ ἀγωνιᾶν καὶ παρατετάχθαι πρὸς τὸ ἀποκρίνεσθαι*. Haec quamquam planissima videntur et facillima ad intelligendum, tamen mendo laborant haud levioere quam illud quod modo sustulisse mihi videor. Editores paene omnes Protagoram dicunt tam paratum esse et promptum ad respondendum, ut tamquam certa explorataque victoria vix possit tempus exspectare, quo Socrates dicendi finem faciat, et iamiam verba eius interpellaturus esse videatur: *τετραχίνθαι* enim interpretantur exasperatum esse et expetentem pugnam, *ἀγωνιᾶν* cupidissimum certaminis, *παρατετάχθαι* paratum et instructum ad decertandum. Ac Deuschelius quidem aptissimam etiam gradationem in his verbis inesse arbitratur; quia, opinor, *τετραχίνθαι* et *ἀγωνιᾶν* animum bellatoris, *παρατετάχθαι* vero etiam corporis habitum ad certamen paratum et quasi intentum proelio indicet. At vide quam non haec conveniant cum superioribus. Namque Protagoreae ubertati copiaque dicendi, nimiae illi quidem et incompositae (p. 230 D — 328 D), Socrates concisam qua ipse excellerebat subtilemque breviter opposuerat adversariumque coegerat, ut quae facunde ipse et abundanter, sed non satis diserte et acute protulisset, iamiam accuratissime singula defenderet et non vulgari illa, ut ait Cicero, popularique trutina, sed quasi quadam aurificis statera examinaret. Et initio quidem Protagoras, quum Socrates callidissime quo tenderet celaret, bono animo neque quidquam timens etiam hanc disputandi viam ingressus erat (329 D); sed mox in hac arte Socrati se non parem esse probe intelligens (331 C) fluctuare incipit et miris modis huc et illuc tergiversari (332 A); deinde iam invitus respondet et aperte reluctatur (333 B); denique de certaminis quod inierat eventu magnopere sollicitus deflectere de via a Socrate instituta et ad illam quam ipse adamarat dicendi rationem redire conatur (333 D): quod ubi Socrates animadvertit — *ἐδόκει γὰρ ὁ Πρωταγόρας ἤδη τετραχίνθαι τε καὶ ἀγωνιᾶν καὶ παρατετάχθαι πρὸς τὸ ἀποκρίνεσθαι* — metuens ne adversarius certamini se subtrahat, placide cum illo et leniter agendum esse censet (*εὐλαβοῦμενος ἡρέμα ἡρόμην* 333 E).

Iam ego, quum ita esse adfectum Protagoram appareat, quaero, quomodo ille possit paratissimus dici et promptissimus ad respondendum: immo iam non respondere apud se constituit et aegre ab Socrate magnaue cum difficultate ut in instituta disputatione permaneat adducitur. Itaque longe alio quam quo vulgo explicantur sensu verba illa quae supra adposuimus videntur interpretanda esse. Exasperatus (*τετραχίνθαι*) videbatur, non paratus ad respondendum; exasperatus videlicet calliditate et subtilitate Socratis, qui non contentus oratione quamvis ornata et copiosa verbum ex verbo acutissimo ponderabat iudicio: quo sensu Plato Latonam *πρὸς τὸ μὴ τεραχὺ τοῦ ἡθους, ἀλλ' ἡμερόν τε καὶ λείον* (ut paullo ante *ἀπὸ τῆς πραότητος*) *Ἀθηναίω*

appellatam dicit in Cratylo p. 406 A. Cf. Tim. 84 C: *τραχύτερα τὰ νοσήματα ἀπεργάζεσθαι*, Legg. 864 C: *νόμοι τραχύνονται*. Similius etiam est quod legitur apud Plut. Alcib. 19: *τραχυνόμενον τοῦ δήμου καὶ πικρῶς πρὸς Ἀλιβιάδην ἔχοντος*. Cf. Phoc. 9: *τραχυνόμενον τοῦ δήμου πρὸς αὐτόν*. Tib. Gracch. 2: *ὀπιρῖνα τραχυνόμενον αἰσθόοιτο τῇ φωνῇ καὶ παραρρηγνύμενον δι' ὀργήν, ἐνεδίδου τόνον μαλακόν*.

Porro disputationis nostrae cursu deducimur ad verbum *ἀγωνιᾶν*: quod ut posse pugnae quandam cupiditatem significare concedo, ita apud Platonem eo sensu inveniri nego. Utitur ea voce philosophus in Charmide p. 162 C, ubi Critias, quum Socrates falsam eius qua *σοφροεῖν τὰ αὐτοῦ πράττειν* esse dixerat interpretationem refutasset, *δῆλος ἦν καὶ πάλαι ἀγωνιῶν καὶ φιλοτίμως πρὸς τε τὸν Χαρμίδην καὶ πρὸς τοὺς παρόντας ἔχων, μόγις δ' ἐαυτὸν ἐν τῷ πρόσθεν κατέχων τότε οὐχ ὁῖός τε ἐγένετο*, h. e. aestuabat intus et continere se iam non poterat: quod quamquam faciebat etiam dicendi sui que defendendi cupidus, tamen haec ipsa dicendi cupiditas non inest in verbo *ἀγωνιᾶν*: hoc enim quum nihil aliud significet quam *aestuare* et quasi *animam agere prae impatientia* vel qualibet alia animi adfectione, hoc loco Critiam *sollicitum esse* ostendit maxime de amore pueri sibi dilecti. Sic manifesto in Euthyd. p. 300 C: *καὶ μοι ἐδόκει ὑπεραγωνιᾶν ὁ Κησίππος διὰ τὰ παιδικά*. Propius ad eum de quo agimus accedit locus Erast. 133 A, ubi Socrates pulchrorum puerorum adspectu tamquam perterritus, *ἐδόκει μέντοι*, inquit, *καὶ ὁ ἕτερος οὐχ ἦτον ἐμοῦ ἀγωνιᾶν · οὐ μὴν ἀλλ' ἀπεικρίνατό μοι*: apparet enim amatorem *respondere nolle*, sed tamen respondere non propterea quod *ἀγωνιᾶ*, sed quamquam *ἀγωνιᾶ*. Optime vero ei quam hic Protagorae esse consentaneum est animi adfectioni convenit quod Plato in Lyside dicit p. 210 E: *κατιδὼν οὖν αὐτὸν ἀγωνιῶντα καὶ τεθορυβημένον ὑπὸ τῶν λεγομένων*: nam quod tamquam explicationis caussa addit *τεθορυβημένον ὑπὸ τῶν λεγομένων*, id etiam in Protagoram cadere facile intelligitur. Atque sic etiam posterioris aetatis scriptores: apud quos ut *ἀγωνιᾶν* nunquam *fortitudinem* aliquam, sed potius *ignaviam* quandam et *trepidationem* significare demonstrem luculentissimum adponam ex Heliodori Aethiopicis locum 2, 18: *ἀποδειλιῶντα τὸν Κημίωνα θεασάμενος ὁ Θεαγένης (καὶ γὰρ φράζων τὰ λεχθέντα πρὸς τοῦ Αἰγυπτίου δῆλος ἦν ὑπεραγωνιῶν) σὺ δέ, ἔφη, τὴν μὲν γνώμην ἐρωτώμενος τις ἄρ' ἴσθαι, τὸ λῆμα δὲ ἀσθενέστερος . . . ἀλλὰ θῆγε τὸ φρόνημα καὶ πρὸς τὸ ἀνδρειότερον ὄρθον τὴν γνώμην*.

Verum hactenus plurimos, ut spero, mecum habebō consentientes: restat quaestio paullo difficilior. Quid enim est *παρατετάχθαι πρὸς τὸ ἀποκρίνεσθαι*? Translationem dicunt, et recte dicunt, petitam a re militari: *παρατεταγμένον* enim esse militem cum aliis, quamquam hoc quidem non nimis premendum est, 'in acie collocatum' — verba sunt Heindorfii — ad hostem adgrediendum: hinc recte etiam eum dici qui contra quemvis adversarium et ad quodlibet certamen paratus et 'quasi compositus' videatur. Audio: sed quomodo hanc significationem ad eum de quo disputamus locum accommodabimus? Protagoras enim ad breviter dicendi respondendique certamen tantum abest ut sit paratus et compositus, ut summa Socratis prudentia omnibusque machinis vix adducatur ad conficiendam eam quam instituerant disputationem. Itaque nihil videtur relinqui nisi ut a reliquorum interpretum multitudine discedamus et Heindorfii rationem sequamur, qui Protagoram existimat in certamen compositum esse, *quo respondendi partes declinet*. Similiter, ut videtur, Astius in Lexico Platónico *παρατάττεσθαι* dicit esse *reluctari*. Quod etsi ad sensum rectissime se habet, verbis certe iis quibus usus est philosophus significari non potest: quum enim *παρατεταγμένος* miles sit quasi in acie collocatus et paratus, Protagoras non est *παρατεταγμένος πρὸς τὸ ἀποκρίνεσθαι*, paratus et obstinatus ad respondendum, sed *παρατεταγμένος πρὸς τὸ μὴ ἀποκρίνεσθαι*, obstinatus non respondere. Nam ut Isocrates 4, 96: *οὐχ ὁλοῖ τ' ἴσαν πρὸς ἀμφοτέρωσιν ἅμα παρατάττεσθαι τὰς δυνάμεις* rectissime dixit eos, qui *adversus* duos exercitus bellum gerere non possent, et ut Plato recte dicere poterat *παρατετάχθαι πρὸς τὸν ἀποκρίνεσθαι κελύοντα* eum qui *adversus* respondere iubentem contenderet — nam nulla in his inest

ambiguitas sententiae aut obscuritas —: ita si *παρατεταγμένος πρὸς μάχην* vel *πρὸς τὸ μάχεσθαι* simul significare posset eum qui paratus est ad pugnandum et eum qui obstinatus est non pugnare, omnis iam sublata esset dicendi perspicuitas. Quae nescio an fuerit caussa, cur ceteri editores Heindorfii rationem non sequerentur.

Quae quum ita sint, ego quidem hoc ipsum *παρατεταγμένος πρὸς τὸ μὴ ἀποκρίνεσθαι* reponere non dubitarem, nisi verbum *παρατάττεσθαι* omnino mihi ab hoc loco alienum esse videretur. Nam primum *παρατεταγμένος* dicitur ab omnibus rebus quibus opus est ad pugnam instructus et paratus, quum Protagoram labefactatum iam et magnopere perturbatum esse appareat; praeterea autem translatio illa quae continetur verbo *παρατάττεσθαι*, non congruit cum iis quibuscum coniuncta est: neque enim *τραχύνεσθαι* proprie, quamquam hoc quidem etiam de milite dici potest, neque vero *ἀγωνιᾶν* eo de quo supra diximus sensu a re militari translatum est. Quaerendum igitur erit verbum quod et literarum forma non nimis a verbo *παρατετάσθαι* discrepet et ex earum petitu sit metaphorarum genere, ad quas etiam *τετραχύνθαι* et *ἀγωνιᾶν* pertinent. Fuerat autem Protagoras exacerbatus ira propter multo sua superiorem Socratis subtilitatem et simul sollicitus et anxius de certaminis quod inierat eventu: itaque ignaviam quandam et taedium pugnae significare debet id quod superioribus duobus adiungendum videbitur verbum; idque invenies una mutata literula, si scripseris:

*καὶ μοι ἔδοκει ὁ Προταγόρας ἤδη τετραχύνθαι τε καὶ ἀγωνιᾶν καὶ παρατετάσθαι πρὸς τὸ ἀποκρίνεσθαι.*

Nota est ea quae hic requiritur verbi *παρατείνεω* significatio ex ipso Platone, veluti Symp. 207 B: *τῷ λιμῷ παρατεινόμενα*, et quo loco egregie emendatio nostra confirmatur, Lys. 204 C: *ἐὰν δ' οὕτως καὶ σμιζρὸν χρόνον συνδιατρίψῃ σοι, παραταθήσεται ὑπὸ σοῦ ἀκούων θαμὰ λέγοντος*. Cf. etiam Euthyd. 303 B: *τὸ ἄνδρε γελῶντε καὶ κροτοῦντε καὶ χαίροντε ὀλίγον παρετάθησαν*, ubi tamen dubia est lectio. Ex aliis scriptoribus praeter ea quae Ruhnkenius conguessit ad Timaeum p. 206 sq. cf. Aristoph. fragm. 421 Dind.: *ἄλλος ἀφῆς μοι· παρατέταμαι γὰρ τὰ λιπαρὰ κάπτων*. Itaque Protagoras exasperatus est infelici superioris disputationis exitu, aestuat prae impatientia et dolore — quam celerrime enim concertationis finem imponere cupit —, denique ita iam languet et debilitatus est, ut nolit amplius respondere.

## X.

### Tacit. Germ. 10. Agric. 31.

Verum quoniam pro eo quod in huius generis scriptione et scribenda et legenda fere consumitur tempore immensum spatium confecimus aequor et iam tempus videtur equum fumantia solvere colla, alias complures quas proferre in animo fuerat coniecturas in scrinio retinere et ad aliam opportunitatem reservare satius erit: attamen, ne cui latinos prorsus neglexisse scriptores videar, duos quasi cumulo quodam addito Taciti locos tractabo, qui haud magna temporis iactura emendari posse videantur.

Alter est in Germaniae c. 10, ubi auspiciis auguriisque maiorum nostrorum commemoratis haec adduntur:

‘et illud quidem etiam hic (Romae) notum, avium voces volatusque interrogare: proprium gentis equorum quoque praesagia ac monitus experiri. publice aluntur iisdem nemoribus ac lucis candidi et nullo mortali opere contacti.’

Quibus, quaeso, nemoribus ac lucis? iisdemne omnes universi populi? at hoc quidem cogitari non potest. an eiusdem vici vel pagi omnes? at id neque dixit neque dici opus erat: per se enim patet. Quid igitur? iisdemne quibus etiam alia armenta alebantur? at nulla talium mentio est facta; neque omnino inveneris quo pronomen illud referatur. Erant autem equi illi sine dubio ut apud Persas diis consecrati, id quod iis quae sequuntur demonstratur: nam 'pressos' inquit 'sacro curru sacerdos ac rex vel princeps civitatis comitantur hinnitusque ac fremitus observant.' Hinc facillima suppedatur et lenissima emendatio: erant enim equi ex eo genere qui apud graecos *ἀγροί* vel *ἀγρομένοι* dicebantur. Lege igitur:

'publice aluntur iis (h. e. ab iis) deum nemoribus ac lucis', vel si in pronomine praeter Taciti consuetudinem non omisso offendas: 'aluntur in deum nemoribus ac lucis'.

Alter legitur in Agricolae c. 31, in egregia illa Calgaci oratione, qua Caledones ut fortes et constantes in proelio cum Romanis iamiam committendo se praestent adhortatur. Ubi postquam Caledones et solos iam ex Britanniae gentibus liberos et simul fortissimos omnium esse praedicavit, ut rei nuper gestae comparatione animos eorum accendat,

'Brigantes' inquit 'femina duce exurere coloniam, expugnare castra, ac nisi felicitas in socordiam vertisset, exuere iugum potuere: nos integri et indomiti et in libertatem non in poenitentiam laturo primo statim congressu ostendamus, quos sibi Caledonia viros seposuerit.'

Sic enim, si leviora quaedam omittas, libri Vaticani. Quae quum intelligi non possent, varias viri docti emendationes tentarunt, quas recensere longum est. Apparet Brigantum vel potius Britannorum paene omnium (cf. Wex in ed. p. 188 not.) rebellionem, quae felici successu suscepta tamen in irritum ceciderit, comparari cum bello tunc a Caledonibus moto, quod etiam eventu futurum felici sperat. Utriusque igitur belli caussae et initia eadem erant, exitum diversum fore auguratur: Brigantes libertatem petiisse, sed quum 'felicitas in socordiam vertisset' pro ea nil nisi poenitentiam et duriorem servitutem reportasse; Caledones belli finem non facturos nisi recuperata libertate. Nimirum praepositio *in* eventum belli significat: is eventus quum in Brigantum tumultu poenitentia fuerit, eundem in Caledonum bello libertatem fore. Itaque Wexius coniecit legendum esse arma laturo pro laturo; ad sensum quidem aptissime: sed pro concisa totius orationis brevitate duobus id quod vellet verbis Tacitum significasse vix crediderim. Quapropter scribendum censeo:

'et in libertatem, non in poenitentiam bellaturo.

Similiter admodum in Histor. 1, 89 dixit: 'ex quo divus Augustus res Caesarum composuit, procul et in unius sollicitudinem aut decus populus Romanus bellaverat.'

**Corrigenda.**

- P. 4 v. 30 pro  $\eta$  lege  $\eta$  ( $\alpha\eta$  προνοία).  
 - 5 - ult. - iid - dii.  
 - 11 - 16 - vulgo lege: nunc quidem vulgo.  
 - 16 - 8 dele verba: in eandem sententiam.  
 - 16 - 27 pro in eiusdem lege: in alie eiusdem.